



Petrus Buflerus in oppido Imperij Isna 1475 hō nestis parētibus natus, & in omni genere uirtutum optimē educatus fuit. Is cū adoleuisset, magno successu mercaturam exercuit, atq; ex honesta familia uxorem duxit, et in senatum cooptatus fuit. Erat aut ab ineunte ætate religionis studiosissimus, atq; omnium pauperum, præsertim ministrorum Ecclesie, curam habuit. hinc factū ut domus ipsius quasi omnium pauperum perfugium, & ministrorum Euangelij hospitiū esset, in quo egentes & miseri excipiebantur, nec quisquam eorum sine honesto uictico dimittebat. Eius uxor mariti hortatu quoquis ægrotos ultrò accedebat, atq; tenuis fortunæ homines medicamentis comparatis contrectabat & curabat. Itaq; potissimum hūius Petri opera Euāgelij doctrinā in patriā perducta, dum Ambrosium Blaurerum eius Ecclesię reformatorem proprijs sumptibus in suis ædibus aluerit, & ut ex Verbo Dei omnia præscriberet, animarit. Cum autem talis Petrus esset, cogitabat non modò miserorum inopiae in hac uita succurrere, sed etiam Euangelij doctrinam in sua patria, cæterisq; uicinis aliquot oppidis, ad posteros propagare, ut in ijs locis semper idonei doctores essent, qui uerbo Dei hominibus uiam ad coelestem gloriam patefacerent. Ad eam rem cum scholarum prudenti constitutione, tum etiā stipendijs opus esse iudicauit, quamobrem urbem Argentoratum elegit, atq; iuuenes delectos ex singulis oppidis, ad quos suum beneficium pertinere uolebat, anno 1536 eō transmisit, ut sua liberalitate tam diu aleretur, donec in literis optimē instituti cum utilitate in patriam reuocarentur. Hoc unius Bufleri exemplum Senatus Argentinensis sequutus, longè utilissimum gymnasium in sua urbe ædificauit, & omnium bonarum artium disciplinas, atq; in primis diuinarum literarum scientiam, in eo iuuentuti exponi iussit. Itaq; schola Argentinensis sua initia huic Petro aliquando accepta referre debet.